



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Forma denunciandi rege[n]tes ciuitatem vel locum esse absolutos ab  
excommunicatione, & interdictum relaxatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

**Forma denunciandi regentes ciuitatem vel locum esse absolutos ab excommunicatione, & interdictum relaxatum.**

**R**ater N. ordinis Prædicatorum, Inquisitor, & ceter. Venerabilibus, & nobis in Christo dilectis ecclesiarum talium, curam regentibus animarum: Salutem, & mandatis nostris, &c.

Tenore præsentium litterarum vobis, & vestrum cuiuslibet intimamus, quod nos iustitia postulante absoluimus a sententijs excommunicationis tales, quibus tenebantur per nos merito innotari, atque a ciuitate tali interdictum per nos impositum relaxauimus, ipsis obtemperantibus nostris monitis & mandatis, prout in litteris nostris videritis plenius contineri tenoris sequentis: Nos frater N. &c. *Inferantur ex toto litteræ immediate præcedentes: Idcirco vobis, & cuiuslibet vestrum auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, quatenus prædictos pro absolutis habentes de cetero eos non euitetis, nec faciatis a ceteris ciuitatibus immo, put ante, ad diuina libere admittatis, ipsamque interdictum deinceps non seruetis, cum per nos ex toto fuerit relaxatum. Datum & ceter.*

*Quod si nec sic præstare voluerint antefatum canonicum iuramentum, poterit processus aggrauari iuxta c. ad abolendam. §. statuuimus. extra de hæret. & in re. c. v. officium. §. statuuimus. & vt infames hæreticorum fautores, & de fide suspecti honore & officio sui regiminis spoliari & condemnari, nec de cetero illud seu ad aliud officium publicum, vel dignitatem aliquam assumantur; & easque fecerint de cetero nullam firmitatem habeant & hoc per litteras tenoris sequentis.*

**Forma a ggrauandi officiales prædictos excommunicatos, & priuandi eos officijs publicis.**

**N**os frater N. & cetera. Attendentes quod ciuitatis, ville, vel loci alterius regimini prædentes, tenentur præstare corporale iuramentum de defendenda Ecclesia sancta; Dei contra hæreticam prauitatem, ac constitutionibus contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, ipsorumque filios, & nepotes edius a sancta sede Apostolica inuolabiliter obseruandis, & obseruari toto tempore sui regiminis faciendis, cum fuerint ab ipsis Episcopo seu Inquisitore legitime requisiti; quodque præstare antefatum iuramentum contumaciter recusantes, sunt ut infames & hæreticorum fautores ac de fide suspecti, honore & officio sui regiminis spoliandi, & de cetero

**A**tero ad nullam dignitatem, neque ad vllum publicum officium assumendi: quin immo declarandum, quod quicquid fecerint deinceps in suo officio, nullam obtineant firmitatem: Et cum talis Vicarius, talis Subvicarius, & talis Balliuus, talis Subballiuus, talesque Consules, & Rectores talis ciuitatis seu loci, fuerint per nos inquisitorum præfati legitime pluries requisiti, de defendenda Ecclesia sancta Dei, bona fide iuxta officium & posse suum contra hæreticam prauitatem: Et nihilominus quod constitutiones a sancta sede Apostolica editas contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores & defensores eorum, ipsorumque filios & nepotes toto tempore sui regiminis inuolabiliter obseruarent, & facerent in terris sui regiminis obseruari, ipsique taliter requisiti præfate contumaciter renuerunt antefatum canonicum iuramentum: verum quia ipsorum contumacia exigente fuerat excommunicationis vinculo innodati, & etiam publicati: accrescente eorum contumacia etiam cum candelis extinctis & campanis pullatis, demumque cum participatibus, ipsaque ciuitas talis, in criminis detestacionem, & ipsorum criminum punitionem supposita ecclesiastico interdicto, ac in presentiarum persistant in tali ac tam graui contumacia animo indurato: Idcirco nos inquisitor præfatus, dignum merito reputantes, vt hi officijs priuentur, qui officijs abutuntur, volentesque in hac parte mandata canonica & Apostolica fideliter exequi (vt tenemur) ipsos talem, a vicariatus, talem a subvicariatus, talem a balliuatus, talem a subballiuatus, talem a consularis officijs talis ciuitatis seu loci, eorum in causa fidei, postulante inobedientia & contumacia, vt infames, & tanquam hæreticorum fautores, & de fide suspectos tenore presentium merito expoliamus: sique deinceps talis, p vicario, talis p subvicario, talis p balliuo, talis p subballiuo, & tales pro consulis ab aliquo nullatenus habeantur, nec de cetero ad aliquam dignitatem vel publicum officium assumantur: Eodemque tenore decernentes irrita, & inania, quæcunque deinceps talis vt vicarius, talis vt subvicarius, talis vt Balliuus, talis vt Subballiuus, & tales vt Consules fecerint seu ordinauerint, mandauerint, vel fieri iusserint: nullamque obtinere deinceps firmitatem. Datum, & ceter.

*Qua sententia sic lato, mandetur regentibus curam animarum, in cathedrali et in alijs ecclesijs publicari per litteras tenoris sequentis.*

**COMMENT. VIII.**

**Q**uoniam, vt in superioribus docuimus, grauis summa oritur incommoda, quoties magistratus aut hereticis fauent, aut negligunt ea præstare, que ad fidem protegendam, & propagandam attinet; ideo iustissime cautum est, vt officijs & dignitatibus; quibus abutuntur, priuentur, vt si respiciant, & in officio contineantur: id vero qua ratione peragatur, diligenter docet hic Emericus.

Num. 34.

Solus Inquisitor pō. secularib. officijs priuare.